Actum fuit in Lyceo Die. 17. Augusti anno 1603. Nam eo die Academiæ initium statutum, similiter privatus exercitationum omnium electus locus, Sensim studio crebro disputandi quoque animus exercuit. P.° omnium Doctor suas conclusiones ex Platonica philosophia depromptas egregie sustinuit quas Marchio Cæsius alacriter impugnavit. ac contra singulas argumentis disertissime certavit, Successit Stellutus, qui contra nonnulla etiam axiomata utiliter altercatus est, atque id contigit. 19.° eiusdem mensis die. Obtulit se iisdem temporibus omnium expectata consensu platonicorum Ill. ad 24. portabilis constitutio speculati eam per dioptras nocturnas exquisiverunt, et plane perscrutinarunt. neque ullo sibi pepercere studio ut naturalium doctrinarum studia pervolverent et intelligerent. Tentata etiam fuere in rebus iis cetera Platonica, Magnetica vis an quomodo et quid cum cælesti influxu commune habuerit usque ad ipsam abditi naturam nullo adhuc cognito modo pervestigata fuit. Interim reliquorum etiam academicorum exemplo propria ingenii nomina singuli sibi assumpserunt ut iis velut mentem et discendi voluntatem exprimerent unaque effervescerent. Ante cetera nomen Academiæ, Lyncæam dixerunt, locum Lyceum, Sumpto vocabulo et à Platonis λυκαιο et à lynce animante visu inter ceteros animantes præstantissimo ~~pedibus infernalem cerebrum tricipitem lacerante verso in cælo infirito clamato Sagacius ista, indicanter~~ verum saltim naturalium scientiam, vitiorum et pravitatum omnium dilaniationem, Super omnia vero Divinam eos profiteri pietatem, et à numine superno discendi totum et intelligendi expectare ingenium, Quasi aiant ab omnipotente speramus auxilium omnem ab eo desideramus scientiam. At huic voluere etiam particularia assimulari emblemata, Marchio solem in aquilæ vultum irradiantem unguibus terræ globum gestantem habuit, vocabat exinde se Cælivagum aiebat Aquila (utrumque) quasi dum satis fortunæ commoditatis tribuisset Deus ab eodem numine lumen et scientiam postularet, animi robur, ingenii excellentiam, generositatem, liberalitatemque, et præclara mentis ornamenta sol terra, et aquilæ intuitus sacro velamine occludebant Cum etiam præ manibus et nostra potentia omnipotens naturaliæ hæc constituisset, ipse velut apprehensionem iis divinarum lumen et explicationem superno à Deo distantissime peteret, Irradianti solis radio Heckius suo occurrebat emblemate, cum quippe in trigonica radiatione in crescentem se Lunam recipere, semiplena luna declarabat, adhibito pro principii clementia paremio. A patre luminum, Sic quippe æterno se à Deo scientiam suppliciter petere et expectare, principis Cæsii benevolentiam magnifacere testabatur, ac ideo non superbo sed penitus optabilis desiderii nomine se illuminatum appellavit, Stellutus pariter ut syderibus emblemate ex auspicato prosequeretur Saturnii sydere tardius procedente se tardigradum vocavit, adhibito hoc enunciato Quo serius eo citius, quasi sensim exornandum esse Saturni ad motum satageret, Qui empirice supra consociatus erat. Lunam terræ nube opacatam effinxit, adverso plenè solis radio, Spero lucem exclamabat. quasi studiorum nondum exercitatus libra scientiis in provecta ætate minus aptus, naturalium saltim indagationum arcanum aliquod expectaret. Atque exinde se Eclipsatum appellavit. Eaque fuerunt singulorum et nomina et mentis energiæ.